



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. An corpus aliquod naturale solum continuè componi possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

surum, atque aded minus corporeum futurum, quam ea corpora, quæ de facto passim existunt: sicut è contrario res spiritualis continuè composita eo ipso ad conditionem corporis accederet, neque nisi imperfectè spiritus esset. Verum hæc latius in Metaphysica explicanda sunt: vbi, sicut aliquid est sensitivum, atque vnà discursivum, sic etiam quidpiam esse posse simul spirituale, & materiale imperfectè tamen, hæcque differentias in vnâ rem non repugnare confundi, ostendam: ibidem etiam, quod obici potest contra nostram sententiam ex eo, quod indiuisibilitas sit de ratione rei spiritualis, eiusque solius, fusè dissoluam. Id etiam ad extremum animaduerto, valde probabile mihi videri, corpus omnis compositionis continuæ expers non tantum possibile esse, sed etiam de facto existere, ac talem rationem corporis cælo empyreo conuenire. Sed de hoc latius infra libro nono ad eius initium.



TRACTATUS II.

An corpus aliquod naturale solum continuè componi possit?

CAPVT PRIMVM.

Sententia affirmans eligitur, & probatur.

CORPVS substantiale completum, quod solum continuè compositum sit, & compositionis essentialis ex forma, & subiecto expers sit, vulgo nuncupari solet corpus essentialiter simplex: quod possibile esse, quantum arbitror, similius vero est: idemque arbitrantur, quotquot censent, cælos esse corpora simplicia essentialiter, atque ex subiecto, & forma minime coalescentia; vti commentator 8. Metaph. comm. 12. & lib. 12. com. 20. & lib. 1. de cælo com. 20. Iandunus de subst. orbis q. 1. Zimara theorema. 107. Aureolus, Maior, Bassolis, Durandus, Gabriel, & alij antiqui, quos P. Suarez disp. 13. Met. sect. 10. num. 10. & Cominbric. 1. de cælo, c. 2. & Pereira lib. 5. phys. c. 10. eruditè referunt. In eadem sententia sunt Arriaga disp. 5. phys. sect. 3. Auerfa tom. 2. philosoph. qu. 33. tr. 5. Compton. disp. 3. de cælo. sect. 1. & Ioan. Benedictus, Pendatius, Zabarella, Raguseus, Contarenus, alique, quos referre longum esset.

2. Ratione suadetur: quia in tota latitudine spirituum non repugnat substantia spiritualis completa, qualis est Angelus, & substantia spiritualis incompleta, cuiusmodi est animus rationalis: similiter ergo in tota latitudine corporum possibile erit corpus essentialiter completum, & corpus essentialiter incompleta, formaque substantiali, ad hoc vt compleatur, indigens, quorum hoc de facto existat, illud verò saltem existere possit: cur enim duplex ille essendi modus spirituum, & non corporum proprius sit? Secundò, quia Deus producere potest corpora perfectiora, & perfectiora in infinitum syncategorematicè: quidni ergo ad aliquam speciem corporis deuenire possit, quæ eius perfectionis sit, vt se ipsa, absque forma distincta substantialiter completa sit?

3. Tertiò: sicut corpus completum per formam, quam suscipit, ita natura completum per substantiam, quam terminat: at, quamuis de facto naturam omnem creatam compleri per substantiam à se reali-

ter distinctam disputandi gratia permittatur, negandum tamen non est, quin possibilis sit natura aliqua creata subsistens per se ipsam, & subsistentia à se distincta incapax: quamuis ergo corpus omne de facto compleatur per formam substantialem à se distinctam, (quod aded constans non est) adhuc possibile erit corpus completum per se ipsum, & formæ à se distinctæ prorsus ineptum. Maior perspicua est: nec minus talis est minor propositio: quidquid enim sit, an Angelus de facto subsistat per se ipsum, vel non, certè multis partibus probabilius est, sicut natura diuina se ipsa, & sine aliquo à se realiter distincto subsistit; ita etiam non repugnare naturam angelicam seipsa subsistentem: nec enim ob id infinita euaderet. Vide quæ de hoc diximus supra lib. 2. tractat. 19. cap. 2. & 3.

4. Quartò: possibile est corpus incompletum tantæ perfectionis, vt sine forma substantiali, qua compleri capax est, naturaliter conservari possit, eaque non indigeat: haud secus ac forma aliqua incompleta tantæ tamen perfectionis est, vt sine materia naturaliter esse possit, nimirum anima rationalis: ergo etiam corpus aliquod aded perfectum possibile est, vt formæ qua compleatur non solum egeat, verum etiam eius incapax sit: huiusmodi autem corpus est essentialiter simplex. Antecedens ostensum est à nobis citato lib. 2. huius operis tract. 3. cap. 2. ad eius finem. Quintò: possibilis est materia quæ se ipsa, & absque præsidio vllius vicationis distinctæ in loco sit: non aliter ac ipsa vicationis materialis, & corporea per se ipsam essentialiter spatio loci illigata est: ergo etiam possibilis erit materia, quæ se ipsa, & sine iuuamine formæ distinctæ sit in actu substantiali completo. Tandem, in huiusmodi corpore essentialiter simplici nulla apparet repugnantia, vt inferius solutione argumentorum elucescat.

5. Quam ante prædicti corporis maiori luce, & intelligentia interrogari de eo potest, per quam actionem produci possit, executiuam, an generatiuam? Respondeo per solam creatiuam productum iri. Tum, quia compositum ex materia, & forma substantiali per creationem producit: ergo à fortiori corpus simplex compositum longè perfectius. Consequentia videtur perspicua. Antecedens patebit ex dicendis infra lib. 5. Tum etiam, quia ideo materia prima de facto existens creatur, quoniam non habet subiectum, à quo possit educi: sed corpus completum essentialiter simplex subiecto caret, è cuius potentia educatur: cum enim completum sit, quomodo esse potest forma incompleta alicuius subiecti?

6. Rursus interrogari potest de eodem corpore essentialiter simplici, an vi agentium naturalium annihilari possit? Respondeo certum esse, quod non possit, vi agentium naturalium, quæ de facto existunt, aliorumve similium. Quando enim hæc agentia naturalia tantum destruere possunt, præuie alterando subiectum aliquod, & in illud contrarias dispositiones imprimendo, vt ab eo formam substantialem, quam destructa sunt, abigant, aliamque cum existentia prioris incompossibilem in eo producant; sanè fieri nequit, vt aliquid destruere possint, nisi quod alicuius subiecti forma fuerit: cum ergo corpus simplex nullius subiecti forma sit, profectò horum agentium naturalium, quæ de facto existunt, aliorumve similium vi, atque efficacia destruere non potuit, aut in nihilum redigi.

7. Illud tamen nec imus inficias, nec possumus, agentia naturalia, alterius rationis ab iis quæ modo experimur, corpus illud simplex naturaliter posse destruere.

Si

Si enim corpus illud simplex per creationem ab aliquo agente creato valde perfecto in alia rerum serie producatur: non per suspensionem conuersus poterit ab eo destrui, atque in nihilum euanescere? Aut si agentia naturalia ea sint, quæ inuicem pugnant, non propter subiectum commune, sed propter locum, consequenterque sine præuia alteratione, & dispositionum inimicarum impressione colluctentur, haud secus ac de facto productio corporis Christi sub speciebus panis cum huius substantia pugnat, non propter subiectum commune, sed propter locum, & accidentia; quo fit, vt ad transubstantiationem Eucharisticam non sit opus vlla præuia dispositione, aut alteratione: si inquam, agentia naturalia alterius ordinis ita inter se inuicem colluctentur, non conspicio cur, esto corpora simplicia sint, non possint à se mutuo naturaliter destrui.

CAPVT II.

Dissoluntur argumenta quadam aduersus maiorem sententiam.

- 8 Corpus completum essentialiter simplex impossibile esse censent B. Thomas, & communiter eius assecla 1. p. q. 66. art. 2. Capreolus in 2. dist. 12. q. 1. Soncinas lib. 12. Metaph. q. 7. Iauellus lib. 8. q. 12. Scotus q. 1. phys. Scotus, & Okamus, ac vtriusque plerique sectatores. Item Bonauentura in 2. dist. 12. art. 2. q. 1. & ex nostris P. Hurtado disp. 1. de celo sect. 1. à §. 8. ac Suarez: & Conimbricenses ad initium capitis præcedentis citati. Quorum fundamenta sunt, quæ sequuntur.
- 9 Primum quidem: quia omne corpus necessario est impenetrabile: at impenetrabilitas est effectus formalis quantitatis: ergo omne corpus, ac proinde corpus illud simplex quantitate distincta gaudet: quantitas autem est proprietas materiæ: ergo corpus illud simplex materia, ac per consequens forma substantiali (quæ cum materia recipiatur, eiusque est correlatiua) necessario constare debet: quo fiet, vt simplex, & non simplex sed compositum sit, adeoque contradictionem implicet. Respondeo primò, quantitatis à materia primæ realem distinctionem falsò supponi. Secundò, si distinguuntur, non quantitatem vt sic, sed solam quantitatem distinctam realiter à re quanta materiæ primæ proprietatē indiuiduam esse: corpus autem simplex se ipso essentialiter esse posse quantum: quare se ipso impenetrabile esse poterit absque quantitate distincta, quæ materiæ primæ incompleta proprietas est: cur ergo tali materiæ, cur consequenter forma substantiali constare debeat?
- 10 Respondeo tertio, corpus illud simplex non necessario habiturum quantitatem eiusdem speciei, cum ea quæ de facto existit, vt vt quantitatem à se distinctam sortiri debeat, ad quantitatem alterius speciei, per quam impenetrabile reddatur: cum ergo illud corpus quantitate de facto existenti, quæ sola materiæ primæ proprietas, & comes est, careat; non est, cur ipsa materia prima, ac per consequens forma substantiali non possit, debeatque carere. Quid: quod tertio responderi possit, corpus simplex, impenetrabile futurum per quantitatem eiusdem speciei, cum hac quæ de facto existit. Nihil enim vetat, quo minus vna specificè quantitas à subiecto quanto distinctione: haud aliter, ac multæ aliæ proprietates eiusdem speciei inter se essentiis tamen specie distinctis conueniunt.

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.

Obiiciunt secundo aduersarij, corpus completum simplex futurum materiale simul, & non materiale: illud quidem; quia omne corpus est materiale, vt manifestissimum est: hoc verò; quia cum materia non constet, materiale esse nequit. Rursus illud corpus fore, & non fore spirituale: spirituale quidem; quia quod materiale non est, spirituale non esse nequit: non spirituale, quia corpus, quæ tale, spiritui opponitur. Respondeo, corpus illud constare materia substantialiter completa, quamuis expers sit materiæ incompletæ: id autem satis est, vt absolute materiale, & non prorsus immateriale sit; eadem ratione omnino spirituale esse nequit, cum spiritus omni materiæ tam completæ quam incompletæ opponatur.

Obiiciunt tertio: implicat corpus, quod non sit capax alicuius formæ accidentalis: similiter ergo repugnat corpus incapax omnis formæ substantialis, siue, quod perinde est, simplex substantialiter. Respondeo in primis per instantiam. Implicat spiritus creatus, qui formæ accidentalis capax non sit: & tamen non repugnat spiritus creatus incapax formæ substantialis: imò tam certum est id genus spirituum de facto existere, quam dubitari nequit, Angelos esse à Deo productos: similiter ergo in præsentis, &c. Deinde in Metaphysica fuisse ostendam, si per tempus vacet, substantiam corpoream, aut etiam incorpoream omnis formæ accidentalis incapacem minime repugnare.

Nec verò exinde poterit effici, substantiam illam fore suum esse ad instar Dei optimi Maximi. Quamquam per suum esse, siue substantiam haberet omnem perfectionem sibi possibilem, nec vlla denominatio intrinseca ei accedere posset per formam à se realiter distinctam, tamen ab esse ad non esse, & tursus à non esse ad esse transferri posset; cum tamen vtrumque Deo repugnet: quod satis est, vt de ea substantia esse suum esse, sicut de Deo, affirmari non posset. Deinde nec exinde posset inferri, eiusmodi substantiam futuram summè simplicem: quia, sicut creatura aliqua semper, aut vbique existens ob id imensitatis, aut æternitatis attributum sibi non vendicaret, quoniam scilicet non à se, sed ab alio semper aut vbique esse haberet: ita similiter substantia illa simplicitatem Deo attributam sibi non arrogaret: quia, omnis compositionis expers, & incapax esset, tamen hoc non à se, sed à Deo haberet.

Obiiciunt quarto: corpus illud esset, & non esset operatiuum, quæ repugnant. Esset quidem operatiuum: quia, si corpora imperfectissima ex materia, & forma substantiali coalita operari possunt, quanto magis operando erit corpus completum, & perfectissimum, quod velut tale imperfectionem compositionis excludit. Non esset operatiuum: omnis enim operatio vel est immanens seu vitalis, vel transiens: quod autem non posset operari immanenter, seu vitaliter perspicuum est, quia vitæ expers esset, cum nec per actum completum viveret, eo quod non esset Angelus nec per actum incompletum, propterea quod non esset forma substantialis vitalis. Quod etiam non posset operari transeunter haud minus est in aperto, quia cum modus operandi conformis sit modo essendi, modusque essendi talis corporis foret independens à subiecto, sane etiam in modo operandi ad extra, siue transeunter independens à subiecto esse deberet: operari autem ad extra siue transeunter absq; depēdētia à subiecto, vel, quod perinde est, creare, virtutē agētis omnis creati & creabilis excedit.

Respondeo, in primis non de futurum qui censetur, necesse non esse, vt corpus illud alicuius effectus productiuum

H ductiuum

ductuum esset, satisque esse ut aliquid sustentare posset instar causæ materialis: quod genus potentie merè passivæ materie primæ non pauci, nec ignobiles Philosophi tribuunt. Deinde corpus illud immanenter atque vitaliter operari posset, nec nisi insufficienter ab aduersariis vita assignatur soli Angelo & formæ incompletæ: cur enim, sicut forma materialis viuit, etiam corpus simplex perfectionem formæ, & materiæ in se colligens multo perfectius vivere non posset? aut cur, sicut spiritus completus viuit, corpus completum saltem imperfectius vivere nequeat? Rursus corpus illud transeunter operari posset; aut independenter à subiecto, & per creationem, in quo nullam esse repugnantiam suo loco ostendam: aut etiam dependenter à subiecto, & per generationem; cum modus essendi, & modus operandi proportionem neutiquam seruare debeant, quoad independentiam à subiecto: aliàs Angelus, quia ratione à subiecto in esse non dependet, ab eo etiam ad operandum transeunter dependere non posset, quod tamen adeo manifeste falsum est, atque manifestum est, corpus ab eo localiter moueri.

16 Obiiciunt quintò: corpus illud simplex esset perfectius animo rationali, & non perfectius, quæ sunt implicantiæ: perfectius quidem: quia esset substantia completa, cum tamen animus rationalis substantiæ incompletæ gradum non excedat: non perfectius; quia animus rationalis spiritus est, nullum autem corpus ad perfectionem spiritus euehi, nedum eam superare potest. Respondeo, corpus illud animo rationali imperfectius esse posset: cæterum neutiquam inferri potest, illud etiam animo perfectius fore: quia sicut equus substantia completa est, quin tamen ob id perfectionem animi rationalis incompleti attingat, aut superet; ita similiter in præsentī &c. Ratio à priori est, quia complementum illius corporis cum eius simplicitate coniunctum aliis titulis ab animo rationali non solum compensari potest, verum etiam superari.

17 Obiiciunt sextò: corpus illud completum simplex eo ipso esset in actu, ergò per aliquem actum secum identificatum: esset ergò actus aliquis: non autem actus incompletus, & in alio receptus; aliàs forma esset: ergò esset actus completus, & subsistens: cum ergò sola creatura Angelica sit actus subsistens, & completus, sane corpus illud Angelus esset: quo nihil magis chimericum, & commentitium dici potest. Respondeo, corpus illud completum, & simplex futurum in actu completo, & subsistenti, sed tamen non propterea futurum Angelum: quia Angelus ultra actualitatem completam, & subsistentem postulat spiritualitatem: quando ergò corpus illud omnino spirituale non esset, haud quidem foret Angelus, sed intra substantiæ materialis, & corporeæ fines sisteret.

18 Obiiciunt septimò: corpus illud sentiret, & non sentiret, quæ repugnantia sunt, ut quod maximè. Sentiret quidem, quia si forma insensitiua, & materia in eodem simplici corpore per identitatem vniri possunt, cur idem de forma sensitiua, atque materia dici nequeat? Non sentiret: primò, quia ad sensationem, & cognitionem materiale calor, ac reliquæ primæ qualitates requiruntur: eiusmodi autem corpus calore, & reliquis primis qualitatibus careret; cum enim talia accidentia dispositiones ad formam substantialem sint, corpus simplex earum essentialiter incapax esset, haud secus ac formæ substantialis incapax esse deberet. Secundò, quia si corpus illud sen-

tiret nunquam à cognitione sensitiua superfederet, eamque intermitteret, quod certè spiritus, quanto magis corporis, conditionem exuperat. Sequela pro-catur: quia accidentia ad eam sensationem præuie requisita nunquam mutarentur: omnis enim mutatio accidentalis, si de accidentibus materialibus sermo sit, ad aliquam formam substantialem disponit: cum ergò corpus illud nullius formæ substantialis capax esset, certè nulla mutatio quoad accidentia corporalia in eo locum haberet, atque adeo quæ in eo semel existerent nunquam possent mutari, aut cessare: quo fieret, ut cognitio sensitiua ab iis accidentibus dependens nunquam etiam mutari posset, aut semel habita intermittere.

Respondeo: corpus illud simplex esse posset sensitiuum. Ad primam rationem contrariam dicendum est: cognitio sensitiua eius corporis à primis qualitatibus penderet, haud secus ac nostræ sensationes ab iis dependent. Eæ tamen qualitates tale corpus ad formam substantialem non disponderent, quia eius incapax esset: corpus autem, quod de facto creatum est, ideo ad formam substantialem disponunt, quia ad eam in illo capacitas est, atque aptitudo. Aut dic, cognitionem illam sensitiuam eius genij futuram esse, ut à nullis qualitatibus primis dependeret, aut etiam si ab aliquibus dependeret, eas fore diuersarationis ab iis, quas de facto cernimus, & experimur. Ad secundam rationem contrariam dici potest, corpus illud cessaturum à sensatione: aut ex sola obiecti absentia, sicuti sensus nostri externi propter absentiam obiecti ab eius perceptione superfederent: aut ex mutatione accidentium præuie disponentium; quæ certè cum forma substantiali non magis conuerterentur, quam plura accidentia Angeli, ei continuò accedentia, & recedentia. Vel secundò dici potest, corpus illud, esto in continua obiecti sensatione immobiliter hæreret, non ob id perfectionem substantiæ omnino spiritualis affecuturum, eo nimirum quod sensatio illa aliis nominibus foret valde imperfecta.

Obiiciunt octauò, corpus omne principiis intrinsecis non constare non posse: at corpus illud principiis intrinsecis careret. Verum in primis eiusmodi corpus principiis metaphysicis, seu logicis, genere scilicet, & differentia constaret. Deinde principiis illud integraliter, siue continuè componentibus posset constare, tandem non obiciet, fortasse nonnemo, si admittatur possibile corpus essentialiter simplex, atque ex materia, & forma non constans, eodem philosophandi abusu fingi etiam posse corpus, quod neque ex materia, & forma substantiali, neque ex partibus etiam integrantibus continuè coalesceret, sed potius tam his, quam illis ad instar Angeli careret. Verum ne in huiusmodi corpore nec essentialiter nec integraliter composito ullam repugnantiam comperio: quare absque vilo philosophandi abusu, aut licentia possibile concedi potest: imò probabile est, talis conditionis esse de facto cælum empyreum.

TRACTA